



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

§. V. de impedimento cognationis spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

§.V.

De impedimento cognationis spiritua-
lis. Cognatio spiritualis est attinentia
duarum personarum, qua ex statuto Ecclesia-
stico oritur per baptismi & confirmationis
administrationem, vel susceptionem bapti-
zati, vel confirmati, impediens ac dirimens
matrimonium. Vnde peccat mort. qui con-
trahit matrimonium cum alia contingente
se huiusmodi cognatione spirituali; atque
matrimonium est nullum. cap.22.nu.36.

Tota cognatio spiritualis redacta est
hodie per Trident. ad solam eam, qua est
inter patrimum & baptizatum, patrem &
matrem baptizati. & inter baptizantem & ba-
ptizatum, & patrem & matrem baptizati. Vnde
cessant iam fraternitas, compaternitas, inter
baptizantem, & patrinos. & reliqua omnia.
Haec cognationis spiritualis restrictio, in-
telligenda est etiam in ea quae oritur ex con-
firmatione. nu. 36. 37.40.

Patres autem baptizati illi soli intelli-
guntur, qui ad baptizatum de fonte susci-
piendum, electi sunt ab iis ad quos spe-
ctat. Quod si alii extra designatos bapti-
zatum tetigerint, nullam cognationem
spiritualem contrahunt. Quando autem
ex negligentia Parochi, vel alterius, vel
tempore

tempore necessitatis , nulli patrini desig-
nuntur, verius esse iudicatur , quod omnes
qui tangunt baptizatum , & respondent,
contrahunt cognationem spiritualem se-
cundum iura antiqua , siquidem Trident.
nil loquitur de hoc casu . capite 22. numero
37. & 39.

Cognatio spiritualis orta ex Baptismo,
seu Confirmatione , superueniens matri-
monio contracto, non dissoluit, sed tantum
impedit petitionem debiti. Pater autem
baptizans in necessitate filium coniugis
sue potest debitum petere. Pater vero ba-
ptizans in necessitate filium fornicarium,
non potest contrahere cum eius matre
sine dispensatione. cap. 16. num. 34. cap. 22.
nu. 40.

Catechismus baptismi est instructio ba-
ptizandi solemniter facta a Sacerdote de ars-
culis fidei, cum unctione olei ante quam ba-
ptizetur, & unctione Chrismatis post bapti-
sum: ex quo actu, & ex exorcismo ibi fa-
cto, oritur alia cognatio spiritualis inter
eadem personas , inter quas nascitur ex
baptismo, sed minor illa , impediens qui-
dem matrimonium , sed non dirimens.
Quae etiam cognatio restricta est post Trid.
sicut orta ex baptismo & confirmatione:
nu. 40. & 72.

M m 3 Quando

§50 MATRIMON. X. §. VI.

Quando ob necessitatem confertur baptismus sine solemnitate extra Ecclesiam, contrahitur cognatio spiritualis impediens ac dirimens: quando vero suppletur solemnitas catechismi in Ecclesia, contrahitur cognatio minor impediens tantum. n. 40.

DE IMPEDIMENTO

cognitionis legalis.

§. VI.

EST propinquitas ex adoptione alicuius infilium, proueniens. Estque triplex. I. Ascendentium vel descendantium, scilicet adoptantis & adoptati, & descendantium eius, quae nec tollitur dissolutione adoptionis, nec emancipatione. II. Quasi transferens, scilicet inter adoptatum, & filios naturales adoptantis durante adoptione, & filio naturali existente in potestate patris, & non alias. III. Est legalis affinitas scilicet inter uxorem adoptati, & adoptantis & inter adoptatum, & uxorem adoptantis: & haec durat perpetuo sicut prima. Quaelibet autem harum impedit ac dirimit matrimonium, cap. 22. n. 44. Neque etiam contrahitur inter adoptatum, & matrem adoptui, n. 45.

§. VII.